

## P R A E F A T I O

Hinc factum est ut ille qui rixando vanum scientiae nomen atque gloriam sibi conciliaret, optimus audiret Philosophus, & ille præ cæteris maximè intelligere susiceretur, qui semet ipsum minimè intelligeret, nempe quod paraphrynes illius paroxysmo, futileissima quæque (pro ut se ferebat animi impetus) effutiret.

Verum eluxerunt tandem (favente Numine) diuiniora quædam ingenia, quæ (ratione & experientia in consilium unâ advocatis) novam philosophandi methodum præmonstrârunt.

Hinc spes ingens concepta est, Philosophos, non veritatis umbram aliquam aut larvam, atqui ipsissimam veritatem amplexuros & Physiogiam (profligatis controversiis) cum Mathematicis scientiis affinitatem contracturam. Est autem hoc opus non unius ætatis, nedum unius viri; neque tamen despendet animus, quin (unis post alios eadem philosophandi methodo insistentibus) tandem cum bonis auspiciis veritas (quatenus humana feret tenuitas) reseratis indies novis naturæ mysteriis & discussis errorum tenebris, integra apparuerit, tædæque nuptiales accendantur.

Verum enim verò in præsentiarum id me malè habet, quod adhuc viderim aliquam rixandi necessitatem, & ferram contentionis reciprocandi, dum ipsi novæ Philosophiae Principes, de Plenitudine Mundi non conveniunt, adeoque in ipso limine cœspitant &c.

Quia verò jam olim Philosophi inter se de Vacuo, an? vel non? aut quid sit? tam acriter disputatione & quilibet sententiam suam semel conceptam, mordicus ut miles arcem contra oppugnantem hostem, defendit; Ideoque ardor ad veritatem hujus rei, adeò disputabilis, cognoscendam in animo meo accensus, non sopiri, nedum restingu potuit, quin impetrato otio Experimentum quoddam de hâc re instituere, tentarem.

Quod etiam diversimodè factum, nec labor quidem perperam fuit, ita ut machinas aliquas ad demonstrandum illud Vacuum, semper negatum, invenerim.

Postea cum Reipubl. causâ ad Comitia Imperialia Rataponæ Anno 1654 habita, missus essem, & quidam Amatoresharum rerum, de dictis meis Experimentis quicquam percepissent: à me contenderunt ut aliqua exhiberem, quod & pro mea tenuitate, instituere conatus fui.

Factum autem est sub finem horum Comitiorum, ubi ipsa cœperant dissolvi, ut ipsi etiam IMPERATORIÆ MAJESTATI, ut & ELECTORIBUS & PRINCIPIBUS quibusdam, qui jam abitum præparabant, hæc mea Experimenta innotescerent, atque eadem ante abitum spectare desiderarent: Quorum desiderio deesse nec potui nec debui.

Omnium verò maximè illis deletabatur Eminentissimus Dominus Elector Johannes Philippus Archiepiscopus Moguntinus & Episcopus Heribolensis, unde ut ipsi similia instrumenta fabricarentur, apud me instabat.